

Litteræ pro agendis conventibus in Ducatu Masoviae ad
eligendos nuntios, ad prestandum juramentum debitum
et obedientiam Regie Majestati.

115

Sigismundus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvanie, Rus-
sie, totiusque Prussie ac Masoviae etc. Dominus et heres. Ma-
gnifice sincere nobis dilecte. Declaramus et notum facimus tue
sinceritati, nos ad hunc Ducatum Masoviae qui ad nos post obitum
Illustris olim Domini Janusii Ducis Masoviae, iure decidit, venire
ut et bonum ordinem in rebus omnibus constitueremus, et uni-
cuique suam justitiam ministraremus. Quare mandamus tue
sinceritati, ut in omnibus districtibus capitaneatus sui, videli-
cet N et N. ubique proclamari faciat et mandari, ut Universi
et singuli Dignitarii et officiales, et quicunque Nobilitatis nomi-
ne censeantur in N feria quarta proxima conveniant et inde
huc Warschoviam feriâ secundâ post festum Nativitatis Sanctæ
Mariæ Domine nostræ nunc instans proxima, sub privatione bo-
norum omnium se conferant et omnes veniant ad debitum jus-
jurandum et obedientiam nobis prestandam. Quibus autem gra-
ve foret vel aliqua necessitate impediti essent, ut ipsi hic com-
parere non possent, nuntios ad nos cum plena facultate ad ipsum
juramentum et obedientiam nobis prestandam, eligant, et pro
die prefixo huc ad nos mittant pro gratia nostra tua sinceritas
aliter non factura. Datum Warschavia

Ad Mandatum Sacre Regie
Majestatis proprium.

cedit

